Q. F. F. F. Q. S.

INCLVTAE ACADEMIAE

ALBERTO - LVDOVICAE

FRIBVRGENSI

QVATVOR SAECVLA FELICITER PERACTA

AMICA MENTE GRATVLATVR BONAQVE VOTA FACIT

IVLIO - MAXIMILIANA

INTERPRETE

Vrlichs

CAROLO LVDOVICO VRLICHSIO

PHILOLOGIAE P. P. O.

INEST DISPVTATIO CRITICA DE NVMERIS ET NOMINIBVS PROPRIIS IN PLINII NATVRALI HISTORIA.

WIRCEBVRGI

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA THEINIANA.

MDCCCLVII.

1857

Q. F. F. F. Q. S.

INCLVTAE ACADEMIAE

ALBERTO - LUDOVICAE

FRIBVRGENSI

QVATVOR SAECVLA FELICITER PERACTA

AMICA MENTE GRATVLATVR BONAQVE VOTA FACIT

IVLIO - MAXIMILIANA

INTERPRETE

CAROLO LVDOVICO VRLICHSIO

PHILOLOGIAE P. P. O.

INEST DISPVTATIO CRITICA DE NVMERIS ET NOMINIBVS PROPRIIS IN PLINII NATVRALI HISTORIA.

WIRCEBVRGI

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA THEINIANA.

MDCCCLVII.

Quod nuper Schubarti v. d. in eleganti quem de artis criticae ratione edidit libello [1]) et auctoritate et exemplo commendatum legimus, ut uno potissimum scriptore corrigendo severam saluberrimamque artem tirones doceantur: id in Plinii naturali historia et maximo cum fructu fiet et ut facile fieri possit, laudabili Sillígii, Iani, Monii industriae debetur. Nam quum nullum fere vitiorum genus cogitari possit, quo non etiam optimi libri manu scripti laborent, perpauci loci ita corrupti sunt ut, si modo cum facilitate illa animique sagacitate, qua nemo criticus carere potest, aliquam et rerum et ipsius scriptoris cognitionem coniunxeris, eorundem codicum ope non aut certa aut probabili saltem ratione emendari possint, multi etiam tales, ut male magis intellecti quam scripti videantur. Quae quoniam exemplis melius quam sententiis declarari possunt, e larga quam operi per aliquot annos intermisso et mox resumendo praeparavimus messe aliquot locos eius generis secernere separatimque tractare placuit, quod prae ceteris erroribus librariorum obnoxium fuisse apparet, nominum scilicet propriorum aut peregrinorum ac numerorum. Quos e libris extremis idcirco elegi, quod et res, de quibus in illis agitur, minus quam reliquas ignoro et praesertim quod insigni bibliothecae Bambergensis praefectorum liberalitate id mihi contigit, quod a bibliotheca Luciliburgensi

---

[1]) Bruchstücke zu einer Methodologie der diplomatischen Kritik. Cassel 1855. p. III.

etsi benevolentia summarum huius regni potestatum adiutus impetrare non potui, ut codicem praestantissimum et cum impressis libris et cum ea collatione quam Silligius Lud. Iani cura usus exhibuit comparare liceret.

Sex autem modis Plinium emendari video: *restituendo, interpungendo, mutando, transponendo, delendo, supplendo.* Et *primi* quidem generis, quod non in spernenda sed *restauranda* librorum mss. scriptura versatur, unum et luculentum exemplum proponam.

I.

XXXIV, 47. de Zenodoro disputans addidit Plinius:

> Statuam Avernorum quum faceret, provinciae Dubio Avito praesidente, duo pocula Calamidis manu caelata, quae Cassio Silano avunculo eius praeceptori suo Germanicus Caesar adamata donaverat, aemulatus est, ut vix ulla differentia esset artis.

Silani nomen, quod vulgo legebatur, minime ad Cassiam sed ad Iuniam gentem pertinere quum secum reputasset Italorum decus, Burghesius, annal. instit. archeol. vol. XXI, p. 22. *Cassio* e praenomine *Caio* male intellecto ortum esse existimavit. Verum in altero potius vocabulo peccatum esse optime animadvertit Silligius, quippe quod in solo cod. h (Parisiensi 6801.) recentissimo et foede interpolato reperisset. Reliqui praeter Bambergensem omnes non *Silano* sed *Salano* legunt, unus Bambergensis *Calano.* Quem religiosius quam par erat secutus Silligius ad gymnosophistam illum Alexandri aequalem confugit Cassiumque pro Graeco philosopho habuit, qui a Cassiorum aliquo vel ipse vel pater avusve manumissus hoc nomen accepisset. Ita Dubius ille Avitus summis muneribus functus (cf. Tac. ann. XIII, 54.) ab

ignobili Graeculo originem duxisset. At vero Germanici magister non fuit philosophus sed orator idemque Ovidii poetae amicus, quem epist. ex Ponto II, 5, v. 41. ita alloquitur:

Te iuvenum princeps, cui dat Germania nomen,
participem studii Caesar habere solet.

Haud dubie igitur reliquorum codicum auctoritas in facili litterarum *C* et *S* permutatione Bambergensi praeferenda est.

II.

Interpunctionem in iis praesertim locis valde incertam esse consentaneum est, quibus aut varios auctores aut operum nobilium catalogos ita exscripsit Plinius ut diversa opera modo interiecta copula distingueret modo, quales fere catalogi Graeci videntur fuisse, *ἀσυνδέτως* enumeraret. In talibus enim non tam e linguae legibus quam e re ipsa et sententia iudicandum est, utrum coniungenda an separanda artificia videantur. Ita XXXIV, 79. non *Lyciscum*, *mangonem* sed *Lyciscum mangonem* ab Alexide comico irrisum et a Leochare aere excusum fuisse iam in Gerhardi diariis archaeol. XIV, p. 256. animadvertimus. Eadem est ratio loci qui in eodem libro § 66. de Euthycrate legitur.

Itaque optime expressit Herculem Delphis et Alexandrum, Thespiis venatorem et proelium equestre.

Neque enim quemlibet venatorem Lyssipi filius finxisse putandus est sed Alexandrum, patris scilicet audaciam, quam *constantiam* Plinius appellavit, *imitatus*. Sicut igitur Lysippus in Macedonia Alexandri et equitum qui ad Granicum ceciderant imagines [2]), Delphis vena-

---

[2]) Plin. XXXIV, 64. Arrian. exp. Al. I, 16, 7. Plutarch. Alex. 16. Vell. Pat. I, 11.

tionem regis fecerat[3]), ita Thespiis, quam urbem a Philippi inde aetate Macedonum regibus favisse constat, utrumque opus Euthycratis manu factum collocatum est.

III.

XXXV, 93. Mirantur eius (Apellis) Habronem Sami, Menandrum regem Cariae Rhodi, item Antaeum.

Cariae regem Menandrum nullum omnino novimus, novimus Alexandri ducem qui et rege vivo et mortuo per aliquod tempus Lydiam rexit eundemque Antigoni amicissimum[4]): quid igitur verisimilius est quam Lydiae satrapam Samiis vicinis ab eo artifice pictum esse qui Ephesi i. e. in ipsa Menandri provincia degeret et post Alexandri mortem Antigono se applicuisset? [5]) quid porro magis probabile quam aliquot annis antea unius e Cariae regulis quorum imperio Rhodus parebat, Idriei vel Pixodari, quod praeferendum videtur, imaginem Rhodi fuisse collocatam? Quum igitur in cod. Vossiano *eminandrum* scriptum reperiamus, in cod. Pollingensi, cuius sane minor est auctoritas, *et Menandrum*, haud dubie scribendum erit:

Mirantur eius Habronem Sami et Menandrum, regem Cariae Rhodi et Antaeum.

---

[3]) Plin. l. c. Plut. Alex. 40.

[4]) Cf. Arrian. III, 6. VII, 23. Phot. bibl. p. 64ᵃ 69ᵇ ed. Bekker. Krebs lectt. Diodor. p. 29.

[5]) Praeter Antigonum ipsum et Neoptolemum pinxit non eum, de quo Brunnius hist. artif. II, p. 211. cogitavit, transfugam et, dum Halicarnassum contra Alexandrum defendit, occisum, sed satrapam Armeniae, et Archelaum Mesopotamiae, et alterum Clitum, Candidum, ut videtur Lydiae rectorem, omnes fortasse post foedus Triparadisi factum.

Nam illud recte observavit Brunnius p. 207., *Antaeum* nomen quod in Bamb. cod. legitur a Silligio prae reliquorum codd. scriptura *Ancaeum* spretum, Rhodio homini aptius esse, quum simile Antaeonis nomen in numis Rhodiis apud Mionnet. suppl. VI, p. 586. inveniatur. Poterat etiam formam *Ἄνταϊς* ex eodem libro p. 591. commemorare, quae propius etiam ad vulgarem *Ἀνταῖος* accedit. Ceterum quinam fuerint *Antaeus* Rhodius aut *Habron* Samius, neque scio neque scire laboro. De una re video dubitari posse, num fortasse post voc. *Menandrum* nomen regis *Pixodarum* exciderit. Quod fieri potuisse lubens concedo, factum esse ideo non affirmaverim, quoniam nonnumquam in catalogis nomina propria omissa et argumenta tantum indicata esse videntur, cuius usus infra exempla quaedam habebimus.

Verum haec minora sunt et ita, nisi fallor, comparata ut re ac sententia scriptoris perspecta de verbis ne dubitari quidem possit.

Latius patet *tertium* genus quod *mutando* continetur, quodque triplici modo adhiberi potest, ut aut corrigantur litterae syllabaeve vitiose scriptae aut deleantur male insertae aut inserantur negligenter omissae. In quo genere etsi magna opus est cautione atque prudentia, tamen aeque cavendum est, ne in iustam licentiae et libidinis reprehensionem incurras, ac ne quidquid in codicibus legitur, superstitiosius quam religiosius defendere aggrediaris. Ubi autem locum corruptum esse intellexeris, ea mutatio ceteris praestare videbitur quae et ductus litterarum proxime sequatur et sententiae argumentique necessitati consulat. Talis autem mutatio certissimam tunc emendationem efficiet quum eas quas nunc in codicibus lectiones invenimus ex antiquiori exemplari male intellecto errore primum, deinde irrito emendandi conamine ductas esse apparebit. Quod de numerorum praesertim signis valet saepissime in nominum similitudinem corruptis.

IV.

XXXIV, 41., ubi de colosso Rhodio disputat Plinius, magna numerorum corruptela facta est. Haec ibi narrata legimus:

> Hoc simulacrum post quinquagesimum sextum annum terrae motu prostratum iacens quoque miraculo est. . . . Duodecim annis tradunt effectum CCC talentis, quae contigerant ex apparatu regis Demetrii relicto morae taedio obsessa Rhodo.

Primum numerum falsum esse iam a Scaligero ad Eusebium p. 137. perspectum est. Quum enim terrae illum motum anno ol. CXXXIX. primo vel secundo contigisse constet[6]), colossum Plinii verbis anno ol. CXXV. secundo absolutum, anno ol. CXXII. secundo a Charete inchoatum esse efficeretur. Iam vero anno ol. CXIX. primo Demetrius Rhodo abscesserat: quo fieret ut apparatus quem reliquerat per duodecim annos a Rhodiis negligeretur. Ex epigrammate autem pulcherrimo quod apud Suidam v. *Κολοσσαεύς* legitur rem aliter se habere discimus:

αὐτῷ σοι πρὸς Ὄλυμπον ἐμακκύναντο κολοσσόν
τόνδε Ῥόδου ναέται Δωρίδος, Ἀέλιε,
χάλκεον, ἡνίκα κῦμα κατευνάσαντες Ἐννοῦς
ἔστεψαν πάτραν δυσμενέων ἐνάροις.

Itaque non post quinquagesimum sextum sed post sexagesimum sextum vel septimum annum colossum prostratum fuisse apparet. Quem igitur numerum codex Bambergensis exhibet? eundem sane ac reliqui

---

[6]) Syncell p. 220 C.; cf. Oros. IV, 13.

sed manifesto interpolatum: *post LVI. annum* rasura effectum est, antea fuerat *LLVI.* In archetypo igitur exemplari errorem scribae qui quum *LXVI.* scribere deberet, primum signum repetierat, is qui codicem Bambergensem scripsit initio secutus est, deinde correxit ita ut sincerae lectionis vestigium relinqueret.

Alterum vitium non animadverterunt viri docti. Nam quum statua Apollinis colossea quam Apolloniatis in Ponto Calamis fecerat, quingentis talentis constitisset (cf. § 39) eaque triginta cubitorum altitudinem non excederet (cf. § 39), qui convenit, ut duplo maius signum Rhodium, *quod septuaginta cubitorum altitudinis* fuisse et poeta apud Strabonem XIV, p. 652. et Plinius eodem loco testatur, minore pretio locatum esse in animum inducamus? His si addideris post terrae motum ab uno Ptolemaeo rege *εἰς τὴν τοῦ κολοσσοῦ κατασκευὴν τάλαντα τρισχίλια, οἰκοδόμους ἑκατὸν, ὑπουργοὺς τριακοσίους καὶ πεντήκοντα καὶ τούτοις καθ' ἕκαστον ἔτος εἰς ὀψώνιον τάλαντα δεκατέτταρα* promissa esse (cf. Polyb. V, 89.) etiamsi illa talenta minora et aenea fuisse putaveris, tamen trecentis talentis Rhodiis hoc est Attico minoribus tantam molem ne tum quidem exstrui potuisse intelliges, si vera sint, quae valde suspecta narravit Sextus Empiricus adv. math. p. 156. ed. Col. Allobr. 1621. artificem, quum se impensae imparem futurum intelligeret, sibi ipsum mortem conscivisse. Quid multa? facili mutatione sua illi operi dignitas reddetur, ubi ex ultima proximi vocabuli littera numerum *MCCC talentis* effeceris.

V.

Difficilior proximi loci est emendatio, ubi lib. XXXIV, § 45. de Zenodoro loquitur Plinius:

> Romam accitus a Nerone, ubi destinatum illius principis simulacro colossum fecit CX pedum longitudine,

qui dicatus Soli venerationi est damnatis sceleribus illius principis.

Mirum quam diversa de colossi illius altitudine diversi auctores tradidisse videantur. Nam ut a minima mensura initium faciam,

Curiosum urbis [7])	pedes	CII S.
D. Hieronymus	„	CVII.
Plinius e vulgata lectione	„	CX.
Suetonius Neron. c. 31	„	CXX.

enumerarunt. Et bene quidem Bergkius exercitt. Plin. I, p. 7. animadvertit apud Plinium ita vulgo rectius legi quam quod est in Bambergensi *qui nonaginta pedum longitudinem;* nam sic Charetis colossus qui fuit cubitorum septuaginta (i. e. pedum CV) illum altitudine superaret, quum disertis verbis paulo ante Plinius *omnem amplitudinem statuarum eius generis* a Zenodoto victam esse tradiderit. Quibus quum etiam priores illae mensurae repudientur, nihil sane facilius esset quam ut e Suetonii loco denarium numerum Plinio adderemus.

Verum alio nos ducunt codicum mss. vestigia, ut etiam dimidii illius pedis quem accurate curiosum nominavit ratio haberi posse videatur.

Unus enim cod. Paris. h. interpolatus CX pedes numerat, reliqui haec habent:

Cod.	d		X
„	Riccard		CCIX
„	Vossianus	cui X i. e.	CVIX
„	Bambergensis	qui nonaginta i. e.	CVIXC

unde secundo signo quod in Bamb. et Voss. legitur in *X* et ultimo quod in uno Bamb. exstat in *S* mutato numerum nanciscimur *CXIX S.*

[7]) Preller, die Regionen der Stadt Rom p. 6.

Litteras enim *S* et *C* etiam in Salani nomine a Bambergensis codicis scriba permutatas esse vidimus, *V* et *X* etiam XXXIII, 142. confusas esse apparet.

Quum enim ibi *propter quinque pondo notatum a censoribus triumphalem senem* narrat Plinius, P. Cornelium Rufinum in animo habuit, qui, quoniam decem libras argenti facti e praeda retinuerat, a L. Fabricio Luscino senatu motus est, cf. Val. Max. II, 9, 4. Liv. epit. 14. Gell. IV, 8. XVII, 121., et *denas libras* XVIII, 39. ipse nominavit.

VI.

XXXVI, 30. 31. Mausoleum . . . . . patet ab austro et septentrione sexagenos ternos pedes, brevius a frontibus, toto circumitu pedes CCCCXXXX; attollitur in altitudinem viginti quinque cubitis; cingitur columnis triginta sex; pteron vocavere circumitum . . . . . supra pteron pyramis altitudinem [8]) inferiorem aequat viginti quatuor gradibus in metae cacumen se contrahens. In summo est quadriga marmorea quam fecit Pythis; haec adiecta centum quadraginta pedum altitudine totum opus includit.

Quam male hae mensurae inter se cohaereant, post alios dilucide exposuit Neuto, quem nunc in explorandis monumenti nobilissimi ruderibus gnaviter versari accepimus. Atque alteram difficultatem quae latitudinem singularum frontium spectat aedificii vestigiis, si qua

---

[8]) *Altitudinem* pro eo quod codd. habent *altitudine* legendum esse et Otto Iahnius in societatis Lipsiensis actis 1850, p. 126. vidit et ante eum Neuto in musei classici parte XVI, p. 19.

relicta sunt, accuratius perlustratis ille solvet, altera fortasse codicis Vossiani lectione tollitur. Scilicet totum opus CXXXX pedes altum fuit et trifariam distributum ita ut pteron et pyramis altitudine paria quadrigam sustinerent. Quodsi igitur pteron viginti quinque tantum cubitos altum fuit, qui triginta septem pedum et semis mensuram efficiunt, addita pyramide pedes habemus septuaginta quinque, ita ut quadrigae pedes sexaginta quinque relinquantur: quod absurdum esse apparet. Atque sic XXV *cubitis* cum Bambergensi omnes praeter Vossianum legunt: hic autem habet *viginti* .XX *cubitis* i. e. XXXX cubitis, recte haud dubie. Namque quum ita octoginta cubiti h. e. pedes CXX efficiantur, quadriga pedum XX fuisse putanda est, quae mensura et symmetriae legibus egregie respondet et singulis pyramidis gradibus altitudinem dat pedum II S, quam veterum usui consentaneam esse periti intelligent.

VII.

Inter aenea Praxitelis opera Plinius Graecos, ut videtur, catalogos et fortasse Pasitelem secutus laudavit XXXIV, 70.

Item stephanusam, spilumenen, oenophorum.

Ita enim Silligius scriptoris verba constituit, quum antea de Hora vel Opora cogitatum esset, verum ita ut primum tantum verbum probari possit. Secundum nomen O. Iahnius in diariis archaeolog. vol. VIII, p. 192. felici emendatione in *pseliumenen* (ψελιουμένην) mutavit, i. e. mulierem armillam induentem, quam speciem nonnulla aenea sigilla exhibent: tertiam statuam Brunnius in hist. artific. Graec. vol. I. p. 339. eundem illum Satyrum fuisse coniecit, quem periboëton appellabant, et quem adstante Ebrietate nympha Baccho poculum dedisse locis Plinii XXXIV, 69. et Pausaniae I, 20. inter se comparatis bene demonstravit Starkius in stud. archaeol. p. 19. Verum neque illud verisimile videtur, eandem statuam bis in eadem pagina a scriptore

enumerari potuisse et valde displicet ea qua librorum mss. lectiones ad textum emendandum adhibitae sunt negligentia. Nam in qua re omnes praeter interpolatum cod. h consentiunt, terminationem feminini generis, cui omnis corrigendi ratio inniti debebat, Silligius neglexit. Quid enim legunt codices?

Cod. Riccard. . . . . oporan,
„ Vossianus . . . . operan,
„ Bambergensis . . . . ephoram,

unde suppleta quae exciderat syllaba [9]) confidenter repono *canephoram*, quod argumentum et ingenio et arti Praxiteliae aptissimum eo h. l. etiam aptius redditur, quoniam tres illae statuae coniunctae mores virginum ita expressisse videntur, ut prima Palladis coronam teneret, altera in eius pompam se ornaret, tertia modesto decore insignis incederet. Talia enim argumenta comparatione diversarum figurarum ingeniosissimum artificem declarare solitum Starkius l. c. sollerter observavit.

---

[9]) Similem in explenda lacuna errorem monumenti Ancyrani interpretes commiserunt. Ubi tab. VI, vers. 2. et 3. inter reges qui ad Augustum supplices confugerant nominatur
reg] ES. BRITANN [orum.] DAMNO. BELLA [unusque] ET.TIM..... ORVM MAELO.
Eadem lacuna in Graeco exemplari tab. VIII, col. 6. reperitur, ubi haec tantum leguntur:
ΝΩΝΔΟΜΙ . . Ο.ΛΛΑΥΝΟΣ . .
ΚΛΙΤ . . . . ΒΡΟΝ . . ΛΙΑΩΝ,
unde gentis nomen CIMBR [ORVM et *ΚΙΜ*] *ΒΡΟΝ* effectum est, quorum regem Maelonem ignotum esse prudenter A. W. Zumptius ad mon. Ancyr. p. 91. animadvertit. At vero apud Strabonem VII, p. 292. inter eos regulos qui Germanici triumphum exornarunt *Βαιτόριγος τοῦ Μέλωνος ἀδελφοῦ υἱὸς, Σούγαμβρος* diserte nominatur. Nonne igitur manifestum est, apud Sigambros sicut apud plerasque Germanorum gentes alteram factionem amicis in Romanos animis alteram infensis fuisse, prioris autem caput Maelonem fuisse qui a Baetorige fratre expulsus ad Augustum confugerit? Itaque restiuendum est SVGAMBR] ORVM MAELO.

VIII.

XXX, 116. de Romanis pictoribus agitur,

non fraudando et Ludio divi Augusti aetate, qui primus instituit amoenissimam parietum picturam, villas et porticus ac topiaria opera.

Cur optimorum librorum lectio *portus* a Sillígio spreta sit, equidem non intelligo, quum et Vitruvius VII, 5, 2. in loco simillimo *portus, promontoria, litora* commemoraverit et nonnullae portuum picturae etiamnum inter opera Herculanensia et Pompeiana conspiciantur. Quis autem *Ludius* fuerit, etsi a nemine traditur hoc tamen e narrandi quem Plinius tenuit ordine consequitur, non peregrinum sed Romanum fuisse; sequuntur enim Arellius, Fabullus, Cornelius Pinus. Quare ei coniecturae locus non erit, quam minus illam quidem verisimilem — neque enim Lydius sed Lydus appellandus erat — satis tamen facilem appellaveris, ut *Ludio Λυδιῷ* fuisse putes per *u* litteram eodem modo scriptum quo XXXIII, 160. *Ludium pigmentum* nominatur. Gens autem Ludia quum apud Romanos inaudita fuerit, in nomine vitium inesse consequitur. Iam vero in codice Bambergensi non *ludio*, quod e Silligii silentio colligatur, sed *studio* reperitur. Quod ne cum Stadieo Nicosthenis discipulo coniungamus et Graeca illius origine et eo praesertim prohibemur quod hic de parietum pictura sermo est, Stadieus autem § 146. inter *non ignobiles* i. e. eos artifices numeratur qui tabulas pinxere (cf. § 118.). Romanum autem quod postulatur nomen habebis, ubi una littera correcta praenomen a nomine distinxeris, *S. Tadii* i. e. Sexti Tadii, hominis e gente non ignobili oriundi eodemque praenomine usi, quod in eadem gente etiam alibi reperitur [10]).

---

[10]) Eckhel, doct. num. IV, p. 148. Orelli, inscript. 3658. Ceterum recte observavit Osannus in comment. seminar. Gissens. II, p. 14. scriptorum nobiliorum, sicubi ad testan-

Transpositio, quod *quartum genus* enumeravimus, quam Porso tutissimam corrigendi rationem esse recte pronuntiavit, quam late apud Plinium pateat, Bergkius in exercitationibus Plinianis acute ac docte demonstravit, e prioribus nemo Pintiano sollertius animadvertit. Scilicet non singula tantum vocabula male collocata et suo loco restituenda sunt, verum integri versus, paginae, folia perverso interdum ordine disposita inveniuntur. Quae vitia partim ad eorum scribarum quibus codices nostros debemus negligentiam, partim ad codicis archetypi quem exscripserunt formam et rationem, partim ad primi editoris errores referenda erunt. Nam ut hinc disputandi initium faciam, quum Plinius extremos libros aut omnino non edidisset aut ut iterum ederentur retractasset, is qui post mortem auctoris opus edendi curam susceperat multa quae in margine e variis libris adscripta repererat orationi recte interdum et nonnumquam praepostero loco inseruit, nonnulla autem quae a Plinio ipso erant addita sed nondum cum reliqua oratione constructa ita reliquis admiscuit ut verborum nexui prorsus repugnarent. Deinde archetypum exemplar posteriores librarios aut male compactum in errores necessarios debuit inducere aut male intellectum fallere potuit. Quo factum est ut partim paginae et folia commutarentur, partim in singulis paginis versus qui a librario nimium in scribendo veloci neglecti posteaque in imo vel supremo margine additi in nostris codicibus continenti scriptura et perverso ordine exararentur.

Primi generis duo exempla proferre licebit eadem quae a Bergkio l. c. tractata sunt; quorum prius explicatione potius quam transpositione indigere arbitror.

---

dam rem loci citentur, praenomina omitti ideoque XXXVII, 81. non *Q. Catullus* sed cum optimo codice *Catullus* scribendum esse.

XXXIV, 63. Nobilitatur Lysippus et temulenta tibicina et canibus ac venatione, in primis vero quadriga cum Sole Rhodiorum; fecit et Alexandrum Magnum multis operibus, a pueritia eius orsus. Quam statuam inaurari iussit Nero princeps delectatus admodum illa; dein cum pretio perisset gratia artis, detractum est aurum pretiosiorque talis existimabatur, etiam cicatricibus operis atque concisuris in quibus aurum fuerat remanentibus. Idem fecit Hephaestionem Alexandri Magni amicum, quem quidam Polyclito adscribunt.

Offensus horum enuntiatorum incohaerentia Bergkius verba ita transposuit ut quae de Alexandri Magni et Hephaestionis statuis narrantur coniungeret, eam autem quam Nero inaurari iussit quadrigam, Romam scilicet translatam fuisse existimaret. Utique bene ita orationem procedere concedendum est, sed neque quadriga bene unius statuae nomine comprehenditur, et, quod gravius est, tum quum Rhodiis Romani magis quam aliis parcerent et artis opera omnia relinquerent, id quod ipse Bergkius in comm. de Laocoonte p. XI. rectissime animadvertit, incredibile videtur Rhodiis eius dei imaginem cui insulam totam consecraverant a Nerone ablatam, multo etiam incredibilius, quod Bergkius suspicatur, ab ipsis principi ultro dono datam fuisse. Ne hoc quidem viro doctissimo concedo, quod a tertio enuntiato secundum excipi potuisse omnino negavit, ibi enim plurima Alexandri Magni simulacra comprehendi, hic vero de una aliqua statua agi. Nam quam Nero inaurari iussit, Alexandri pueri imago fuit, id quod satis distincte et ea qua uti solet brevitate Plinius ultimis verbis *a pueritia eius orsus* indicavit.

Transpositio haud dubie utendum erit in altero loco, de quo ibidem Bergkius disputavit, sed simpliciore quam quae viro ingeniosissimo placuit.

IX.

XXXV, 71. Parrhasii superbiam, postquam plurima eius opera enumeravit, his verbis descripsit:

> item Telephus, Achilles, Agamemnon, Ulixes. Fecundus artifex, sed quo nemo insolentius et arrogantius usus sit gloria artis; namque et cognomina usurpavit, habrodiaetum se appellando aliisque versibus principem artis et eam a se consummatam, super omnia Apollinis se radice ortum et Herculem, qui est Lindi, talem a se pictum, qualem saepe in quiete vidisset; ergo magnis suffragiis superatus a Timanthe Sami in Aiace armorumque iudicio herois nomine se moleste ferre dicebat, quod iterum ab indigno victus esset. Pinxit et minoribus tabellis libidines, eo genere petulantis ioci se reficiens. Nam Timanthi vel plurimum adfuit ingenii; eius enim est Iphigenia e. q. s.

Haec ita ut exstant ferri non posse Bergkius p. 9. perspexit, quum verba *ergo superatus* cum illo enuntiato *Nam Timanthi* artissime cohaereant. Itaque illa: *Pinxit .... reficiens* postea in margine a Plinio adiecta esse putavit: „quum hoc, quod apud aliquem auctorem „legisset et memoria dignum iudicaret, addere vellet huic loco, ubi „Parrhasii ingenium et mores descripsit.“ Quis autem ille auctor fuerit, ex iis quae Suetonius narravit apparet, scilicet aliquis qui de Tiberii vita librum composuerat. Namque Atalanten Parrhasii foedum et pictoris et principis libidinis exemplum a Tiberio cubiculo inclusum esse perhibuit Suet. Tib. c. 44. Hunc vero auctorem

supra nominavit Plinius virum alibi ignotum, quem tamen inter Suetonii auctores fuisse consentaneum est *Deculonem*, qui Fenestellam, ut videtur, in annalibus condendis excepit, M. Tullii Deculonis a. DCCCXXXV. consulis patrem aut avum. Qui quum inter libri decimi auctores a Plinio enumeretur, ea quoque tradidisse putandus est, quae de Tiberii vinolentia X, 154. narrantur, et quae XXXIV, 62. de Lysippi statua, quam in cubiculum transtulerit Tiberius et populo flagitanti reddiderit, haud dubie Plinius ab eodem auctore sumpsit. Itaque facili transpositione sanabitur locus, ubi scripseris:

> Ulixes. Pinxit et minoribus t. l. e. g. p. i. se reficiens, fecundus artifex e. q. s.

Quintum genus delendo contineri supra animadvertimus, quod et tum necessarium esse apparet quum ea quae a librariis temere repetuntur, quae dittographiae appellantur, omittuntur et quum quae glossemata vocantur illustrandae scilicet Plinianae orationis causa verbis primum adscripta deinde male inserta ad eruditum fere grammaticum referenda videntur, qui munus libros corruptos emendandi saeculo quarto post Chr. n. susceperat. Atque id genus sane difficillimum et erroribus obnoxium eo etiam difficilius redditur quod nova nonnumquam vitia illis annotationibus superstructa sunt. Quorum pauca et exquisita exempla, in quibus aut plures aut omnes de quibus loquebamur emendandi rationes una adhibendae videantur, proferamus.

X.

XXXIV, 70. (Pamphilus) docuit neminem talento minoris annuis Xd, quam mercedem et Apelles et Melanthius dedere ei.

Mire ibi codices variant, namque, ut meliores tantum commemorem, haec leguntur:

Codd. BV — talento minoris annuis X d,
„ R — talento minoris annuis,
„ d — talenti minoris annuis d^ta,
„ T — minoris talento annuis.

Talentum ab Apelle datum esse Plutarchus Arat. 13. tradidit: *ὥστε καὶ Ἀπελλῆν ἐκεῖνον ἤδη θαυμαζόμενον ἀφικέσθαι καὶ συγγενέσθαι τοῖς ἀνδράσιν ἐπὶ ταλάντῳ.*

Quod ita factum esse Ianus Silligii assensum nactus acute coniecit ut quotannis quingeni denarii a discipulis exigerentur, quibus post duodecimum annum sex milia denariorum, i. e. talentum (cf. § 36.), explerentur. Verum enim vero iniquissima magistri ea severitas fuisse putanda esset, qua et eos qui primi eius scholae se applicarent discipulos et Apellem magnam antequam Sicyonem proficisceretur famam adeptum per duodecim annos inter tirones, retineret, neque, opinor, Apelles tam indigne se haberi aequo animo tulisset. Itaque recte de ea re dubitavit Brunnius II, p. 203., rectius etiam C. F. Hermannus de stud. artif. p. 50. antiquam dittographiam verbis Plinii inesse suspicatus est. Dittographiam appellavit quod glossema corruptum vocandum erat. Nam antiquus ille grammaticus talentum sex milia denariorum fuisse, quod e § 136. noverat, quo melius lecturi quantum pretium nobilissimi artifices magistro pependissent, intelligerent, vocabulo *talento* superscripserat IↃↃCIↃX. E numeris IↃↃCIↃX postea factum erat vocabulum *annuis* X, quod ab aliis librariis ita descriptum, ab aliis quum numerum deesse intelligerent in *annuis d^ta* vel *annuis* X d mutatum est.

XI.

XXXIV, 59. Vicit eum Pythagoras Rheginus ex Italia pancratiaste Delphis posito, — eodem vicit et Leontiscum; — fecit et studiodromon Astylon qui Olympiae ostenditur, et Libyn puerum tenentem tabellam eodem loco, et mala ferentem nudum.

In his quae de pueri statua leguntur aut falsa aut corrupta esse inde consequitur, quod Libyn non puerum sed Mnaseam virum hoplitodromon fuisse e Pausaniae descriptione discimus; ibi enim haec leguntur VI, 13, 4. (cf. 18, 2.): *παρὰ δὲ τὸν Βύκελον ὁπλίτης ἀνὴρ ἐπίκλησιν Λίβυς, Μνασέας Κυρηναῖος ἕστηκε· Πυθαγόρας δὲ ὁ Ῥηγῖνος ἐποίησε τὴν εἰκόνα.* Itaque Brunnius in hist. artif. I, p. 134. eo confugit ut Plinium et erroris argueret et magnae socordiae; quid quod etiam extrema verba ad eandem statuam retulit, cui mala Punica eo consilio addita fuerint, ut Libycam Mnaseae originem indicarent. Ita virum adultum et puerum, hominem armatura gravem et nudum Plinius confudisset. Verum Pythagoras praeter Mnaseam etiam pueri statuam fecerat, cuius nomen Plinius omisit, Pausanias VI, 6, 1. his verbis tradidit: *τὸν μὲν δὴ Μαντινέα Πρωτόλαον Διαλκοῦς, πυγμῇ παῖδας κρατήσαντα, ὁ Ῥηγῖνος Πυθαγόρας . . . . . ἐποίησεν.* Apparet igitur post vocabulum Libyn distinguendum esse, et Protolai pueri aetatem tabella qua utebantur discipuli addita indicari. Altera manu eum mala tenuisse existimaveris fortasse, quae amatoria dona aetatis florem significaverint: mihi tamen tertia statua nominari videtur, quam sicut eam quae proxima commemoratur ad heroicas fabulas referendam esse coniicio: Milanionis videlicet aut Hippomenis qui Atalanten malis proiectis currentem detinuisse narrantur, cuius nomen eodem modo

omittitur, quo *claudicantem* Philoctetam artifex ille intelligi voluit, quem Plinius auctorem secutus est.

Gravius in priore huius enuntiati parte vitium remanet. Quae enim praecedunt verba *eodem* — *Leontiscum* primus Heynius opusc. V, p. 371. cum loco Pausaniae VI, 4, 2. contulit, ubi Olympiae Leontisci luctatoris statua cum summis statuarii laudibus coniungitur: *τὸν δὲ ἀνδριάντα Πυθαγόρας ἐποίησεν ὁ Ῥηγῖνος, εἴπερ τις καὶ ἄλλος ἀγαθὸς τὰ ἐς πλαστικήν.* Itaque ut dicam quod sentio Iani ratio, quam Silligius ita comprobavit ut suam relinqueret, Brunnius I, p. 134. amplexus est, mihi non satisfecit.

Neque enim aliunde novimus pulcherrimam Leontisci statuam alteri posthabitam esse a veteribus neque Plinii verbis docemur. Nam haec quidem quivis ita intelligit ut Pythagoras eodem pancratiaste et Myronem et Leontiscum artifices in certamine superasse dicatur. Illius enim loci quem cum nostro Ianus comparavit XXXV, 92. alia ratio est — *Apelles inchoaverat et aliam Venerem Coi superaturus famam*[11]) *illam superiorem*, quum ibi duo opera inter se comparentur, hic vero ex Iani sententia non artifices sed artifex et statua comparentur. Quae autem a viris doctis coniecturae propositae sunt, a codicum mss. vestigiis nimium recedunt. Thierschius in epoch. p. 217. *eundem vicit et Leontisco* scripsit et probabilem sententiam duplici mutatione effecit, Heynius verba *eodem vicit* delevit, quae unde orta fuerint haud facile intelligitur, Silligius in catal. p. 401. vocabulum *eodem* in *idem*, *vicit* in *fecit* mutavit[12]). Verum altius repetenda est vitii origo. Scilicet Plinius ipse margini ex alio auctore haec verba *eodem fecit et Leontiscum* adiecerat, quae post vocabula *eodem loco* insererentur: editoris autem

---

[11]) Obiter moneo non *famam* legendum esse sed *fama*.

[12]) Quid C. F. Hermanus in annal. Heidelb. 1828, fasc. 8, 791. coniecerit ignoro.

errore male post vocabulum *posito* inserta sunt, unde factum est, ut grammaticus qui saeculo quarto librariorum errores emendare aggressus est, quum quo vocabulum *eodem* referret non haberet, vocabulum *fecit* proximo corruptum existimaret et in id quod nunc legimus *vicit* mutaret.

XII.

XXXV, 99. Pinxit et currentes quadrigas et supplicantem paene cum voce, et venatores cum captura, et Leontion Epicuri, et anapauomenen propter fratris amorem, item Liberum patrem et Artamenen spectatos Romae in aede Cereris.

Plura h. l. ferri nequeunt. Primum Leontion Epicuri amicam ab Aristide vix pingi potuisse recte Brunnius II, p. 161. animadvertit, quum Epicurus post ol. CXVIII, 2. Athenas redierit et ibi aliquot annis post celebrem illam cum Leontio consuetudinem contraxerit; Aristides autem circa ol. C. florere coeperit. Deinde num *anapauomene* Canace quae se ipsa quieti commiserit i. e. interfecerit Graece appellari potuerit, vehementer dubito, quum Ariadnen optime ita vocari appareat; denique *Artamenen* quem pro vulgata scriptura *Ariadnen* cod. Bambergensis exhibet quemnam intelligamus quaeritur. Ut brevi dicam quod sentio: quum Persarum rebus, moribus, vestimentis Alexandri aequales delectarentur, Aristides ea argumenta excoluit quibus praecipue animorum sensus et perturbationes declararentur: celeberrimas preces quas pro fratre Intaphernis uxor coram Dario rege fuderat (cf. Herod. III, 119.), iudicium nobilium de regno aut Xerxi aut eius fratri, quem Plutarchus frat. am. 18. Ariamenen, Herodot. VII, 2. Artabazanen appellat, deferendo. Praeterea Leontium virum quendam Thebanum pinxit, cuius nomen grammaticus antiquus idem esse

putavit quod § 144. reperitur atque addito genetivo declaravit. Quum igitur in primis exemplaribus haec legerentur:

ET CVRRENTIS QVADRIGAS
ET VENATORES CVM CAPTVRA
EPICVRI
ET LEONTION ET ANAPAVOMENEN
ET PROPTER FRATRIS AMOREM
ITEM LIBERVM ET ARTAMENEN
SVPPLICANTEM PAENE CVM VOCE

factum est ut versu quarto et quinto postea male relatis ordo versuum permutaretur.

Sextum genus quod in *lacunis indagandis et oratione scriptoris restituenda* versatur et propterea in praesentia differendum esse existimo, quoniam in iis libris de quibus nunc agimus pauca nominum et numerorum signa quae interciderunt tertio genere comprehendimus, maiores autem lacunae inventu fortasse minus difficiles aut raro aut numquam ita expleri poterunt, ut ultra probabilitatem progredi liceat. Exemplum est XXXV, 96., ubi in verbis

Fecit et Neoptolemum ex equo adversus Persas, Archelaum cum uxore et filia, Antigonum thoracatum cum equo incedentem

post vocabulum *equo* participium aliquod intercidisse velut *pugnantem, dimicantem*, confidenter contendere licet, quale fuerit, in incerto linquendum erit.

Iam vero absolutis quae huius disputationis erant id ipsum edicam, unde causa erat exorta, quare haec ita scripta publice darem ad Vos, Viri Illustrissimi et Amplissimi, ut Academiae nostrae iussu consensu auctoritate ad quarta Saecularia Vestra faustissima vota a nobis suscepta enuntiarem perscriberem, Ioanni Iacobo Langio legato nostro exhibenda traderem. Ergo Vobis congratulamur et Academiae Vestrae ob quatuor saecula peracta feliciter, gratulamur plausibusque prosequimur inclutam Alberto-Ludovicam, quae, ut cum ceteris Germaniae scholis communi vinculo liberalium artium coniuncta est omnibusque cognatione studiorum, quae pie coluit colitque, affinis, ita eadem illa in ipsis patriae faucibus Germanicae constantiae decus et praesidium finitimis nationibus portum et commune receptaculum videtur praebere, unde uberrimos doctrinae fructus petere liceret. Enimvero quae fecimus vota pro Vobis, faxit Deus feliciter! nos Vobis, Viri Illustrissimi et Amplissimi, sinceris animis et germanis favemus Academiaeque Vestrae, quae patriae per tot saecula affulsit insigne lumen doctrinae et eruditionis, hisque ipsis Saecularibus laeta omnia precamur condecorandis Vobis atque illustrandis.

Dabamus in Academia Julio-Maximiliana Wirceburgi ante diem IV. Kal. Sextiles a. MDCCCLVII.

